



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Latitudo eiusdem procurrit ab eâdem vrbe Dulcinio, ad os Ambracij sinus, *de Laris*, & complectitur 270. millia pass. Francicas leucas 135. Germanicas 67 cum dimidia.

NVM. 3. *Qualitas Albanie.*

REGIO circa Dyrrachium & Dulcinium feracior est; in parte Meridionali etiam vina generosa crescunt, inter quæ Aulonica *de la Valone* celebrantur. Ad eandem quoque urbem pix laudatissima crescit, & sal in montibus effoditur. In Italiâ quoque laudantur cera Albana, gossipium, linum, tapetes; & quia sale abundant, & piscibus ora maritima scater, ideo illi sallantur, & per vniuersam Græciam distribuuntur.

NVM. 4. *Mores Albanorum.*

ALBANI omnes bellicosi sunt, & ad fatigandos hostes peridonei: milites hîc melius ex equis, quàm pedites depugnant, sed rapaces sunt, & nimio prædæ ardore victoriam dubiam reddere solêt. Idiomate peculiari vtuntur quod neque Turcicum, neque Græcum, neq; Slaucum, illud autem secum ex Asiâ detulisse dicuntur; multis tamen Slaucis verbis inquinatum est. Venales animas habent, & ei militant qui luculentius stipendium offert, sed maximè Venetis operam suam & sanguinem locant. Itatorum more vestiuntur ferè ditiores, reliqui ritu barbarorum, quibus vestis ad necessitatem, nihil ad ornatum. In funeribus suis mortuum quasi viuentem interrogant, & præficas adhibent quæ sibi capillos euellunt, ac genas radunt. A meridie Dyrrachium vsque viget ritus Græcus, exinde Latinus receptus est.

NVM. 5. *Politia Albanorum.*

TEMPORE irruptionis Turcicæ inter tres familias regio distributa fuit. *Comneni* ex familiâ Imperatorum Orientalium oræ maritimæ imperabant Dyrrachij & Aulonæ, Duxque vltimus Constantinus Comnenus, qui & Comes Montisferrati in Italiâ fuit, hîc rerum potitus est. Antea tamen Dyrrachium obtinuerunt Caroluisij ex familiâ Francicâ.

Mediterraneis locis, & magnæ parti Albanicæ imperarunt *Cassariote*; sed ab Amurate II. domiti sunt. Quamquam Scanderbegus, hoc est Alexander Epirota, regnum paternum instaurarit, & fortissimè defenderit.